



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. IX. De iis qui injuriam patiuntur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

prudens contra eum, de quo nihil tale cogitatur, nec quo instrumento, nec qua de causa ageret. Et hoc genus injuriarum dicitur infortunium. Deinde, si quis non inconsulto quidem, sed tamen nec de industria aliquid facit. Et hoc genus dicitur delictum, non iniustitia. Aut si & consulto & cogitato fit injuria, & tum merito aliquis iniustus habetur, quæ injuria dicitur.

Cur autem qui ex ira aut alio affectu nocent, non sunt iniusti dicendi?

Quod ipsi non videantur auctores mali, verum ipse potius, a quo sunt incitati. Spectandum enim & hoc, utrum jure an injuria iratus nocuerit.

Estne iudex etiam iniustus habendus, qui inaequaliter distribuit, aut iniquum iudicium interposuit?

Si imprudens & ignarus hoc tulerit, crimen illud licet ei effugere: si vero sciens, vel ob gratiam, vel vindictæ cupiditatem iniustus appellandus.

CAP. IX.

Deiis qui injuriam patiuntur.

Fierine potest, ut quis sciens injuriam & volens patiatur?

Nequaquam. Nemo enim videtur alteri nocere, nisi contra ejus voluntatem. Deinde nemo volens cruciatur: Qui autem injuriã patitur, cruciatur: Ergo nemo volens injuria afficitur.

At ii tamen voluntariam injuriam patiuntur, qui propter amorem cupiditatemque opes suas dilapidant, vel vino se obruunt, quod sibi norunt obesse?

Minimé. Inferunt quidem sibi ipsis damnum nullam autem injuriam patiuntur. Unde nec Glaucus libr. 6. Iliados accepit injuriam, cum Diomedis aurea arma pro ferreis daret; quia in ipsius situm fuit potestate.

CAP. X.

De iis qui sibi ipsis inferunt injuriam.

Potestne quis sibi ipsi injuriam facere?

Per se quidem & proprié nemo dicitur, sed improprié.

Cur nemo dicitur proprié sibi inferre injuriam?

Quia duo contraria non possunt simul in eodem subjecto consistere. Qui vero inferre injuriam, peccat in excessu: Non potest igitur simul in defectu delinquere

Quomodo autem improprié?

Eó quod in homine ratio & concupiscentia, sint veluti personæ diversæ, quæ debent mutua officia, mutuamq; defensionem. Cum igitur altera debitum non præstiterit, alteram injuria afficit.

Quid de iis sentiendum qui se ipsos interficiunt?

Faciunt illi injuriam, non tamen sibi ipsis, sed patriæ, quæ cive uno minuitur. Quare a republica etiam pœna est constituta in eos, et